Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Etymologiae - Cod. Aug. pap. 103

Isidorus <Hispalensis>

[Reichenau], [15. Jahrh.]

Praefatio

urn:nbn:de:bsz:31-75968

Visual Library

tractatorum multa super ista re-
cognoscit. Ethymologiarum codicem
nimia magnitudine distinctum
ab eo titulis non libris quem
quia rogatu meo fecit quamvis
imperfectum ipse reliquerit ego xx
in libros divisi. Quod opus omnimodo
philosophie conveniens quisquis crebra
meditatione perlegerit non igna-
rus scientie divinarum et huma-
narum erit sed redundans diver-
sarum rerum flagrancia quecumque
sunt scire debent fructu collegit.
Vel dicit: post tot defectus Hispa-
nie novissimis temporibus suscitans
eum deus ad restauranda antiquorum
monumenta ne usquequaque ru-
sticitate veterasceremus quasi quandam
apposuit destinam. Cui non immerito
philosophicum illud aptatur:
Nos inquid in nostra urbe pe-
regrinantes errantesque tamquam
hospites tui libri tamquam domum
reduxerunt ut possemus aliquando
qui et ubi essemus agnoscere.
Tu etatem patrie, tu descriptiones
temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum,
tu domesticam publicamque disciplinam,
tu sedium regionum locorum, tu
omnium divinarum humanarumque
rerum nomina genera causas officia
que aperuisti. Quo vero flumine
eloquentie et quot iaculis divi-
narum scripturarum seu patrum te-
stimoniis Acephalorum heresim con-
foderit synodalia gesta coram eo
Ispalensia acta declarant. In qua
contra Gregorium prefate heresis
antistitem asseruit veritatem.
Obiit temporibus Eraclii imperatoris
et christianissimi Chintilani regis,
sana doctrina prestantior cunctis,
copiosis operibus karitatis sine...

Explicit prologus

In nomine sancte trinitatis incipit
liber Ethymologiarum beati Ysidori
episcopi ut valeas que requiris cito in hoc
corpore invenire. Hec tibi lector
pagina demonstrat de quibus rebus
in libris singulis conditor huius
codicis disputaverit. Id est in libro
primo partes prima de grammatica
eiusque partibus. Liber secundus de re-
torica et dialectica. Liber tercius
de matematica cuius sunt partes
arismetica musica geometria
et astronomia. Liber quartus
de medicina. Liber quintus de
legibus et instrumentis iudiciorum
ac de temporibus. Liber sextus de or-
dine scripturarum de ciclis et
canonibus de festivitatibus et of-
ficiis. Liber septimus de deo
et angelis de nominibus prophetarum de
nominibus sanctorum patrum de martiribus clericis
monachis et ceteris fidelium nominibus.
Liber octavus de ecclesia et sina-
goga de religione et fide de her-
eticis de philosophis poetis sibillis
magis paganis ac diis gentium.
Liber nonus de linguis gentium
de regum militum civiumque vocabulis
et affinitatibus. Liber decimus de vo-
cabulis per alphabetum distinctis.
Nota tabule aliorum librorum
scripte sunt posterius ante librum xi.

Incipit liber primus ethimologiarum Ysydori de disciplina et arte

no also et dei servo Braulioni epo Ysydorus En tibi sicut pollicitus sum misi opus de origine quarundam rerum ex ueteris lectionis recordacione collectum atque ita in quibusdam locis adnotatum sicut extat conscriptum stilo maiorum Explicit prefacio

Incipit prefacio in ethimologias

De disciplina et arte
De septem liberalibus disciplinis
De gramatica
De partibus oracionis
De uoce et literis
De sillabis
De pedibus
De accentibus
De posituris
De notis sententiarum
De cortografia
De analogia
De ethimologia
De glosis
De differentiis
De barbarismis
De soloecismis
De ceteris uiciis
De metaplasmis
De scematibus
De tropis
De prosa
De metris
De fabula
De hystoria
Expliciunt capitula

Disciplina a discendo nomen accepit unde et sciencia dici potest Nam scire dictum a discere quia nemo nostrum scit nisi qui discit Aliter dicta disciplina quia discitur plena Ars vero dicta est quod artis preceptis regulisque consistat Alii dicunt a grecis hoc tractum esse uocabulum apo tes aretes id est a uirtute quam scienciam uocauerunt. Inter artem et disciplinam plato et aristoteles hanc differenciam esse uoluerunt dicentes artem esse in hiis que se et aliter habere possunt Disciplina uero est que de hiis agit que aliter euenire non possunt. Nam quando ueris disputacionibus aliquid disseritur disciplina est quando aliquid uerisimile atque opinabile tractatur nomen artis habebit

De vii liberalibus disciplinis

Disciplinae liberalium artium septem sunt Prima gramatica id est loquendi pericia Secunda rethorica que propter nitorem et copiam eloquencie sue maxime in ciuilibus questionibus necessaria estimatur Tercia dyaletica cognomento loyca que disputacionibus subtilissimis uera decernit a falsis